

VI
I.
Quae Summus NEWTONVS de diuerfa radiorum luminis re-
frangibilitate indeque pendente ipforum indole, variorum co-
lorum sensum excitandi, in apricum protulit, sequenti potissi-
mum innituntur propositioni:

Si omne lumen aequaliter refringatur, i. e. in transitu su-
perficie duobus media heterogenea separantis, angulo incidentiae exi-
stente eodem, tantundem de via deflectat; lumen solis per fora-
men rotundum in cubiculum tenebricosum intromissum et per
prisma vitreum ita traiectum, vt luminis incidentis directio ad
axem prismatis perpendicularis sit, vbi, post egressum e primate,
plano ad directionem luminis egredientis perpendiculari exceptum
fuerit, non minus imaginem rotundam formabit, ac si prisma
omnino abuisset, supposito, prismatis positum eum esse, in quo
refractiones luminis incidentis et egredientis sunt aequales.

Propositio haec, eiusdem euidentiae capax ac unaquaelibet in
Euclidis elementis, a NEWTONO in Opt. Lib. I. Part. I. Prop. II.
solide quidem, vti talem geometram decebat, at breuiter tantum
et quasi in transitu demonstrata est. Quum vero magna pars et
errorum circa theoriam colorum NEWTONIANAM sustenta-
torum, et obiectionum contra eam prolatarum, ex illa propositio-
ne male intellecta aut non satis ponderata proficisci videatur; vt
vis eius melius percipi queat, haud inconsultum duxi, hoc tem-